



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt episcopus cum paucis suam parochiam circueat. lxxxvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

cum & apostolicum atque ecclesiasticum, cum dominus Mosidicat: Speculatorem dedi te domui Israël, & audies ex ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me, &c. à com-  
prouincialibus episcopis, acrius corripiantur.

*Vt episcopi presbyteros suos de ministeriis illorum diligenter discutiant. Cap. LXXXV.*

**P**Lacuit nobis atque conuenit, vt episcopi per singulas *Ex cōcil. Braggat. cap. 2.*  
Ecclesias & diœceses euntes, primùm discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant vel missarum, & qualiter quæque officia in Ecclesia peragant. Et si rectè quidem inuenerint, Deo gratias: Sin autem minimè, docere debent ignaros.

*Vt episcopus cum paucis suam parochiam circumueat. Cap. LXXXVI.*

**C**vm episcopus suam diœcesim visitat, nulli præ multitudi- *Ex cōcil. Toletano cap. 5.*  
tine onerosus existat, nec vnquam quinquagenarium numerum euectionis excedat, aut amplius quàm vna die per vnquamque basilicam remorandi licentiam habeat.

*Si episcopus parochiam suam visitare nequiuerit, viros probabilis vitæ pro se mittat. Cap. LXXXVII.*

**Q**uòd si episcopus, aut languore detentus, aut aliis *Ex eodẽ. cap. 6.*  
occupationibus implicatus visitationem diœceseos explorè nequiuerit, presbyteros probabilis vitæ, aut diaconos mittat, qui reditus basilicarum & reparationes, & ministrantium vitam inquirant.

*Qualem ministrum episcopus iuxta se habere debeat. Cap. LXXXVIII.*

**V**T quisque episcopus talem iuxta se pro viribus habere decertet, qui iuxta syncerissimum & purissimum sensum catholicorum patrum, fide & obseruatione *Ex cōcil. Meldesi. cap. 3.*  
mandatorum Dei, seu & prædicationis doctrina, presbyteros plebiũ assiduè instruat & informet, ne domus Dei viui, quæ est Ecclesia, sine lucerna verbi diuini remaneat. Sed & idem talis existat, quem amor pecuniæ non vexet, aut reprehensibilis contemptibilem reddat. Hinc est, quòd quum Moses querelam in conspectu Dei poneret, non se posse portare tantum onus, quod ei fuerat impostum, audiuit à domino: Congrega mihi LXX. viros de senioribus Israël, quos tu nosti quòd senes populi sint ac